


Dissertatio Theologica De Deo Suscitante Christum Ex Mortuis : Ex Concione Pauli Athenis habita Actor. Apost. Cap. XVII, v. 31. Prior

Regiomonti: Typis Zænckerianis, [1718?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862999456>

Druck Freier  Zugang





94

Fa-1092 (94.)

7

4

3

4

9

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

DEO

SUSCITANTE CHRIS-
TUM EX MORTUIS

Ex Concione Pauli Athenis habita
Actor. Apost. Cap. XVII. v. 31.

PRIOR

Quam

DIVINA ASSISTENTE GRATIA

Veneranda Facultate Theologica consentiente

In Academia Patria

SUB PRÆSIDIO

BERNHARDI von SANDEN,

S. S. Theolog. Doct. & Profess. Primar. Concionatoris Aulici Primar.
& Consist. Sambienf. Consiliarii.

Publice ventilandam proponit

CHRISTOPHORUS BEHNCKE, R. B.

S. S. Theol. Studiosus.

Anno M. DCC. XVIII. Mense

Hora locoque solitis.

Die

38

REGIOMONTI, Typis ZÆNCKERIANIS.



PATRONIS

atque

AMICIS.

Est tua mens servire Deo, defendere verum,
Illam ut ostendas, pulpita laude tenes,
Gratulor ex animo, Numen tua cœpta secundet.
Utile te cœtûs organon efficiat,
Quando ipsi fuerit visum te ritè vocare,
Sic pariet constans digna brabea labor.

Sic vovet Clare Docto Dno. Responden

PRÆSES.

Auspiciis lætis dum scandis Pulpita, BEHNKI,
Materiamque gravem magna cum laude tueris,
Theiologum Te Scripta diu trivisse, patescit.
Sed quoque scrutaris (quod omittunt pessimè multi)
Codicis Hebræi fœcundos, me duce, Fontes
Non Te pœniteat Linguam tractasse, sacratam
Ore Prophetarum atque Dei Omnipotentis, Hebræam;
Graviter at pergas: Labor hic Tibi proderit olim.
Ex animo voveo studiorum prospera facta,
Ut quoque Te maneant Tua præmia digna Laborum!

*Hisce Nobilissimo Domino Respondenti, Auditori su
in Ebraicis maximè industrio, Specimen publicus
edenti, applaudere voluit*

JOHANNES BERNHARDUS HAHN

Phil. & S. Theol. D. Hebr. ac Oriental. Linguar.
Prof. Publ. Ordinarius.

Gelückter Musen-Sohn auf dein gelehrtes Sitzen
Im Schooß Gamaliels, da wir dich iho seh'n/
Wirst Du als wie ein Stern am Kirchen-Himmel blitzen/
Und auf der Cangel bald im vollem Glanze steh'n.

*Mit diesen geringen Zeilen gratulirte seinem fürwehre-
ten Freunde in der größten Eulsfertigkeit*

M. Wilhelm Heinrich Beckher.

Sonnet.

So trittst Du nun herfür und läst Dich redend hören/
Beliebter Bruder / doch redst Du nicht leere Wort.
Du stellest Jesum vor / so unsrer Seelen Hort /
Den Paulus ihm erwehlt / vor aller Welt zu lehren / *1. Cor. II. 12.*
Was wilt Du anders wohl hiermit izund beweisen/
Als daß Du Jesum Dir hast einzig außerwehlt / *Matth. XII. 34.*
Der sich mit Dir schon längst hat in der Tauff vermählt / *Gal. III. 26.*
Dafür Du Ihn nunmehr mit Herz und Mund wilt preisen. *Pf. 116. 13.*
Fahr also fort und halt den stets in den Gedancken / *II. Tim. II. 8.*
Mein Bruder / und vergieß was welt- und irdisch ist / *Phil.*
(III. 13. 14.)
Lauff unermüdet hin in diesen Glaubens-Schrancken /
So wird Dir einst dafür die Krohn die Jesus Christ
Hat allen bengelegt / die Ihn allein geliebt /
Und in der Gottes-Furcht sich Tag und Nacht geübt. *Pf. I. 2.*

Dieses wenige schrieb aus Brüderlicher Affection
und Gratulation in Eyl

JOHANNES Behncke /

S. Minist. Candidatus p. t. Cantor Loebnic.





7. N. 7.

Actorum Apostol. Cap. XVII. v. 31.

Διότι ἔστησεν ἡμέραν ἐν ἣ μέλλει κρίνειν τὴν δικαζομένην ἐν δικαιοσύνῃ,
ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὤρισε, Πίστιν παρασχῶν πᾶσιν, Ἀναστήσας αὐτὸν
ἐκ νεκρῶν.

Propterea quod constituit, DEUS, diem, in quò judicaturus
est Orbem in justitia per Virum, quem destinavit,
fidem offerens omnibus, Suscitans illum ex
mortuis.



S. I.

Verba ultima Concionis Paulinæ Athenis habitæ in
quibus Vir, per quem DEUS judicaturus est Orbem,
describitur, *tanquam ex mortuis resuscitatus*, consi-
deraturis repetendum est ex antecedentibus, quod
Paulus Atheniensibus proposuerit *Oeconomiam Salu-
tis*. Per quam Pater, qui hactenus, ante Adventum
Christi in Carnem, tempora Ignorantiæ in gentilibus toleravit, *ταῦν
nunc*, post ejusdem manifestationem, in prædicatione Pœnitentiæ per
Apostolos Christi in universum Orbem cum Evangelio missos & in ex-
hibitione seu largitione fidei, instaurare velit Salutis prædicationem *per
eundem Virum*, cui Universale & Ultimum Judicium tradidit ut erga
illud omnes homines ubique [terrarum se dignè præparent; Ex quibus
A patebit

2
patebit quare illum *Virum* seu illam personam, per quam & in qua judicaturus erat orbem, jam prescius describat; Scilicet quod hic sit ille *Vir, quem ipse ex mortuis resuscitavit.* Captavit sic Apostolus occasionem Atheniensibus prædicandi Christum, & sic eosdem ad agnitionem Ejus pleniorum deducendi, quam tamen Concionem cum profani illi homines risu & contemptu exciperent, ut dicitur ver. seqv. *Cum enim audierent resurrectionem mortuorum, quidam irriserunt, quidam dixerunt: Audiemus te iterum de hoc.* Atque sic Paulus abrumpere coactus sermonem exiit de medio illorum.

§. II. De connexionione horum Verborum, *ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν*, cum antecedentibus, diximus itidem jam Disput. antecedente §. I. Nunc notamus saltem, quod illa utique ad Descriptionem Viri, in quo DEUS judicaturus est Orbem, sint referenda. Id enim requirit *συναφεία* textus. Equidem non pauci cum D. Seb. Schmidio, sensum ita putant esse supplendum ut designetur *tempus ex quo fides illa exhibita sit Orbi, sc. postquam DEUS Christum ex mortuis suscitavit:* Illud enim tempus quasi terminum, inquit, posuit & tempora Ignorantiæ à temporibus exhibitæ fidei quasi limes distinxit, & hunc effectum Resurrectionis prædicat Scriptura. *Declaratus est*, inquit Paulus Rom. I. 4. de Christo, *filius DEI cum potentia secundum Spiritum Sanctificationis, eò quod resurrexit à mortuis* ἔξ ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν B. Lutherus reddidit *seit der Zeit daß er auferstanden ist von den Todten.* Verum sicuti particula ἔξ neque causam sanctificationis hoc loco præcisè notat, ita neque tempus designat; Licet spontè largiamur utrumque ex aliis locis Scripturæ patere. Ita in nostro loco, talis restrictio non legitur in textu Originali, quin hæc Verba per comma à prioribus, *exhibens fidem*, distinguntur in omnibus Codicibus. Itaque rectius dicimus, hæc ipsa ad antecedentia & ea, quæ de *Viro qui Judex constitutus & declaratus est*, utrumque enim notat Verbum *ἐπίσειν*. Vid. Disp. Alteram §. IV. referenda esse. Summam sc. Concionis juxta Joh. Brentium hanc constituere
,, possumus. Primum docuit Paulus cultum simulachrorum non esse
,, veram DEI cognitionem & cultum. Deinde subindicat veram DEI
,, cognitionem & cultum esse fidem in JESUM, quem DEUS judicem
,, Orbis constituit. Illam fidem DEUM, post tempora ignorantiae,
,, manifestam fecisse Orbi, per hoc, quod illum Virum excitavit à
mortu-

3

mortuis: Sicque declaraverit quod Vir seu homo ille judicaturus sit⁶⁶ verus DEus, ut illum, rejecto in vera & seria poenitentia pristino si- mulachrorum cultu, fide amplectantur, quo ipsum, qui est Resur- rectio & vita Joh. XI. 25. in judicio extremo, omnes qui credunt in ipsum habeant æternam Vitam. Atque hinc laud. Brentius dicit commemo- rasse Paulum *Resurrectionem Christi à mortuis tanquam Sacramentum, signaculum, arrhabonem & confirmationem, quod Vir ille non solum sit homo, sed & DEus, cui Pater Cœlestis omnem potestatem & iudicium de- dedit.* Verbis, addit, *quanguam paucis, minimè tamen obscuris, se explices, concionatur de ipso, quod sit non solum Judex, sed & media- tor & propitiator noster apud DEum.*

§. III. Particula itaque relativa αὐτὸν referenda necessariò est ad τὸν ἀνδρα, Virum, quem DEUS destinavit seu constituit Judicem. Quare non dubitarunt quidam ipsum nomen ἰησοῦ addere in citatione hujus dicti. ut Irenæus Lib. III. contra Hæres. Cap. XII. p. m. 226. & MSC. Cat. apud Millium in Var. Lect. ad h. l. Cur vero Paulus JESUM Christum nomine Viri designare voluit Disp. tertia super h. l. §. IV, ex Originis Tract. I. in Matth. & aliis explicavi, & approbavi maximè rationem quam suppeditat D. Seb. Schmidius quod Apostolus, adhibere hoc Nomen voluerit, quia mox dicturus erat de ejus ἀναστάσις ἐκ νεκρῶν, ut intelligeretur Vir hic secundum humanam naturam ex mortuis resuscitatus, juxta quam & à Patre potestatem accepit faciendi iudicium. Joh. V. 27. Benè tamen ipse in Collegio Bibl. poster. Loc. XXXIII, §. 21. monet. Absit ut Christum faciamus instrumentum⁶⁶ aut ministrum, cum Pater per illum judicaturus sit, utique divina po- testate, aliam non habens inferiorem. Tota enim Trinitas iudicabit⁶⁶ per Potestatem judiciariam, auctoritatem & decretum. Filio verò peculiariter tribuitur, quoad visibile & externum exercitium, & ut veteres loquuntur per appropriationem. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus: cum Virtute & gloria multa Matth. XVI, 27. Luc. XXI. 27. Matth. XXV. 64.* Similiter & Verbum ἀναστήσας se refert ad τὸν θεόν DEum, de quo versu anteced. dixerat, quod tempora ignorantia toleraverit hactenus, nunc autem demandet poenitentiam; Pariter quod ipse constituerit diem. &c. Eidem resuscitationem hujus Viri tri- buit. Act. II. 24. Petrus de Christi resurrectione prædicans: ὃν ὁ

4
Θεός ἀνέστησεν it. v. 32. τὸν τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεός. Conf. Cap. III.
26. X. 41. XIII. 33. 34. Et Paulus Gal. I. 1. Eph. I. 19. Verbum enim
ἀνέστημι in aoristo 2. activo neutraliter *resurgere* & aoristo 1. activo tran-
sitivè, *facio surgere* h. e. *excito*, & inde participium Aoristi 1. ut Act.
III. 26. ὁ Θεός ἀναστήσας τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν DEum *excitantem* s. *re-*
surgere facientem denotat.

§. IV. Vox vero ipsa Surgere, Resurgere, sicut aliàs
generaliter dicitur de eo, qui vel à casu vel accubitu surgit
vel sessione, vel de tota conversatione hominis & ejus actionibus, consi-
liis & motibus, ut Threnor. III. 63. Ps. CXXXIX. 2. Item de eo qui
rem aliquam aggreditur ut Gen. XXIII. 3. Ita in specie de *resuscita-*
tione corporum ex statu mortis, frequentissimè & in famosiori significa-
tione in Scriptura Sacra usurpatur, ita ut respondeat Hebræo *q̄p* & *q̄pn*
& græco *ἐγείρω* & *ἐγείρομαι*. Sic enim adhibetur illa vox de iis quos in
Vitam revocarunt Prophetæ, Christus & Apostoli, & notat tum Christi
primogeniti ex mortuis 1. Cor. XV. 20. tum universalem & finalem omni-
um hominum in novissimo die futuram Resurrectionem Joh. V. 29.
Unde *Ἀνάστασις* dicitur à Damasceno lib. IV. de O. F. c. 28. & ex anti-
quis P. P. quos vide in Thesauro Eccles. Sviceri, describitur, quod sit
δεύτερα τῆ πεπρωτότος στάσις ejus quod cecidit sc. in morte, *iterata sta-*
tio: Vita enim quasi statio, mors contra casus, sicque resurrectio ut
restitutio in pristinum statum Vitæ, consideratur. Atque hinc per me-
taphoram ad *quamlibet mutationem pristini status* hæc vox transfertur.
Sic resurgere dicuntur qui ex periculis & calamitatibus emergunt. *Non*
lateris inimica mea, super me: Nam cecidi quidem, sed resurrexi, dicitur
Mich. VII. 8. Conf. Ps. XLI. 9. Es. XXIV. 20. Hoc sensu reditus
Judæorum ex captivitate Babylonica, in typo Resurrectionis designa-
tur Es. XXVI. 14. 19. Ezech. XXXVII. 3. 5. Et sic DEus in liberatio-
nem suorum dicitur resurgere, qui visus fuerat in desertione suorum
dormire quasi & quiescere Ps. XLIV. 24. LXVIII. 2. 3. Resurgere
etiam dicuntur, qui à peccatis s. morte spiritali resurgunt per veram
& seriam poenitentiam: *Cadet justus & resurget*, inquit Salomo Proverb.
XXIV. 16. Verum quia locus hic potius de liberatione ex periculis vi-
detur loqui, inde magis evidens est locus Jerem. VIII. 4. *Numquid qui*
cadit, non resurget, numquid avertetur & non convertetur. Et Eph. V.
14. *Surge, qui dormis & exsurge à mortuis, ut illucescat tibi Christus*.
Hæc

Hæc dicitur *Resurrectio prima* Apoc. XX. 5. Hujus respectu Christus dicitur positus multis in Israel *in resurrectionem*, qui sc. per conversionem à peccatis in ipso Angulari lapide sese erigent. Luc. II. 34. Vox hæc *ἀνάστασις* in ipsa Scriptura describitur per *ἐγείρειν & ζωοποιεῖν* (Hebr. *חַיָּה וְחַיָּה* vocatur) ut Joh. V. 21. *Sicut Pater ἐγείρει τὸς νεκροὺς καὶ ζωοποιεῖ, sic & filius quos vult ζωοποιεῖ.* Ita tamen, ut antecedens & consequens, nam corpora antequam resurgant, per animæ unionem prius vivificantur. Atque hinc Petrus 1. Epist. cap. III. 18. *ζωοποίησιν* Christi ab ejus *ἀνάστασι* distinguit; Inde Damascenus l. c. plenius sic describit Resurrectionem, *συνάρθειαν πάλιν ψυχῆς τε καὶ σώματος καὶ δευτέραν διαλυθέντος καὶ πεσόυτος ζωῆς εἶσιν. Conjunctionem iteratam animæ & corporis & secundam ejus, quod dissolutum fuerat, & ceciderat sc. in mortem animalis, restitutionem.* Inde intelligitur, quare Resurrectio *παλιγγενεσία* Matth. XIX. 28. dicatur. Vid. August. Lib. XX. de C. D. c. 5. Item *ἀποκατάστασις πάντων* Act. III. 20. *restitutio & restauratio omnium*, quia tunc abolito peccato & morte perfecta justitia & immortalitas piis restituetur. Distingvunt quidam inter *ἀνάστασιν* & *ἐξανάστασιν*, illam dicunt In Scriptura vocari *Resurrectionem piorum* qui ad Vitam æternam & beatam resurgent, hanc verò volunt usurpari de Resurrectione impiorum, quam sequetur æterna mors. Licet verò in quibusdam locis hoc discrimen videatur innui, ut Lucæ XXI. 36. Rom. VIII. 11. 1. Cor. XV. 22. &c. Non tamen semper id fit. Nam Act. XXIV. 15. Joh. V. 29. Joh. XI. 24. Hebr. VI. 2. Rom. IV. 17. de universali & piorum & impiorum Resurrectione vox *ἀνάστασις*, ut bene monet Gerhard. Loco de Resurr. Mort. §. 95. usurpatur. Nimirum sicut duplex est *Vita Corporalis & Spiritualis*. Naturalis & Cœlestis; Ita etiam duplex est *ζωοποίησις* & *ἀνάστασις*. *ἀνάστασις* ζωῆς, & *ἀνάστασις* κρίσεως Joh. V. 29. *ἀνάστασις* δικαίων τε καὶ ἀδίκων Act. XXIV. 15. Differt verò utrumque sc. *ἀναστῆναι* & *ζωοποιεῖν*, ἀπὸ τῆς ζωογονεῖν. Illa enim respiciunt resurrectionem & vivificationem ex mortuis, hoc verò dicitur quoque de vivis, qui Vitam conservant, quod patet ex Act. VII. 19. collato cum Exod. I. 17. & ex Luc XVII. 33. *Ὅς εἰάν τις ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτῆς σωθαι, ἀπολέσει αὐτήν, καὶ ὅς ἀπολέσῃ αὐτήν ζωογονήσει αὐτήν.* Ubi explicatur ex priori hemistichio *quid sit ζωογονεῖν ψυχὴν.*

§. V. Quod attinet ergò Resurrectionem Christi, hoc loco & aliis supra citatis dicitur quod ipsum Pater resuscitaverit, ὁ ἀνάστησας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, qui tamen & ipse aliis in locis toties dicitur resurrexisse propria Virtute: *Filius Hominis ἀναστήσεται* Matth. XX. 19. Marc. X. 34. Luc. XVIII. 33. *Resurget*, Item *ἐγερθήσεται* Matth. XVII. 23. *Christus ἠγέρθη* Matth. XXVII. 64. XXVIII. 7. Luc. XXIV. 6. 34. &c. Et clarius adhuc sibi eandem tribuit Joh. II. 19. dicens de corpore suo tanquam templo *ἐγερᾶ αὐτὸν Excitato illud*. Inde Marcus de Christo ὁ ἀνάστησας manè apparuit Cap. XVI. 9. & ibidem Angelus ad mulieres, *ἠγέρθη*, ἃκ ἔστι ὡδε. v. 6. Paulus quoque propterea, ait: Christus ἀπέθανε καὶ ἀνέστη καὶ ἀνέζησεν, ut mortuorum & Vivorum esset Dominus Rom. XIV. 9. Quare verò Patri Christi resurrectio tribuatur, infra explicabimus. Atque hinc Christus de se ipso testatur, quod sit *Ἀνάστασις* voce metonymice accepta. *Ego sum*, inquit ad Martham Joh. XI. 25. ἡ ἀνάστασις, καὶ ἡ ζωὴ. i. e. Autor & largitor Vitæ & Resurrectionis, qui in me ipso habeo Vitam, & resuscito quos & quando volo, prout dixerat Joh. V. 21. Quod Theophylactus post Chrysostomum ita explicat: *Ego sum resurrectio & Vita*, atque ita potentia mea non loco circumscriptur, sed tam absens quam præsens sanare possum. *Ego enim χορηγὸς τῶν ἀγαθῶν bonorum largitor sum*, & non quasi alius det, sed ipse sum resurrectio & vita, valeoque ἀνίσταν καὶ ζωοποιεῖν resuscitare & vivificare. Τὸ γὰρ θέλειν ἐξουσίας, τὸ δὲ εἶς θέλει, τῆς ἐξουσίας τὴν ἰσότηα. Illud velle, potentie, illud quos vult, ut Pater, excitat, potentie equalitatem ostendit, inquit Chrysof. Homil. XXXVIII. in Joh. Quanquam Gregor. Nazianz. Orat. XXXVI. & alii propter adjecta Verba: *Qui credit in me* &c. de spirituali resurrectione hæc intelligant, Filius Dei inquit ἀνάστασις vocatur, ὡς ἐντεῦθεν ἡμᾶς ἀπανιστῶν, καὶ πρὸς τὴν ζωὴν ἐπανάγων νεκρωμένους ὑπὸ τῆς ἀμαρτίας. Ut nos jam hinc suscitans & ad vitam à peccato morte affectos, reducens. Hanc ἀνάστασιν prædicabat Paulus Atheniensibus, eandem annunciabant Judæis & gentibus cæteri Apostoli, qui propterea hujus resurrectionis testes προκεχειροτονημένοι præelecti vocantur. Act. III. 15. X. 41. Conf. I. Cor. XV. 4. & sequ. Paulus summam totius fidei Christianæ traditurus Timotheo: *Memento*, inquit, *Jesum Christum resurrexisse à mortuis* 2. Epist. Cap. II. 8. Vid. Rom. X. 9. Helena pia mater Constantini

7
tini M. primi Christiani Imperatoris, memoriam devotam Christi Resuscitati ex mortuis recolens in visitatione Hierosolymorum, in loco Dominicæ Passionis & Resurrectionis, nec non Ascensionis Domini, Basilicas ædificavit, teste Sulpitio Severo Lib. 2. Vide de hoc Templo Stephanum Moyne in Notis & Observat. ad Polycarpi Epistol. p. m. 433. quarum primam *Ανάστασι* vocavit.

§. VI. Sed nec negligenda phras̄is ἐκ νεκρῶν, utpote per quam quæ *Ανάστασις* designetur, clarius adhuc explicatur. *Νεκρός* dicitur mortuus ἀπὸ νε κρησιν, καὶ κη, ἢ ψυχῇ a Ne negativo & κη, quod cor notat s. animam inquit Scapula in Lexico. Potest reddi *excors, quemadmod. enim Vitæ initium sic & mortis finis est in corde* scribit Ed. Leigh. Crit. S. N. T. Pafor tamen in Lexic. vult hanc vocem, quam Poetæ expriment per *νεκός*, affinem esse Hebræo נכח in Hiphil נכה *percussit, occidit*, unde lat. neco. Apud profanos autores, ut testantur citati Lexicographi, *νεκρός* cadaver notat. Inde *νεκρώω*, *morte mactō, eneco, mortifico*. Respondet ei alia vox *θάνατος* à *θνήσκω* qs. à *θνώω* inusitato, quod Schrevelius dicit esse qs. *θέω άνω* sursum tendo sc. ad Deum, qui dederat animam: Inde *θνητός* *mortalis* *θανάτω* *morte afficio* & *θάνατος* *mors*. LXX. passim τὸ κη quod notat *pestem* verterunt voce *θάνατος*, quâ designatur quoque *pestis* Apoc. VI. 8. Quanquam verò illæ duæ voces promiscuè in Scriptura S. usurpentur, ad designandam mortem, quam Damascenus describit, quod sit *χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος* Lib. IV. de Fide Orth. c. 28. Ambrosius verò ita definit: *Mors est separatio animæ & corporis, anima absolvitur, corpus resolvitur*, Lib. de Bono Mortis c. 8. nihilominus in hoc loco non ita dissolutionem animæ & corporis, quæ facta est in morte Christi quàm *statum post mortem* videtur notare, in quem devenit Christus postquam in cruce animam suam in manus Patris commendans, *expiravit* ἐξέπνευσε, ut habent Marcus & Lucas, & Matthæus ἀφῆκε τὸ πνεῦμα Johannes παρέδωκε τὸ πνεῦμα, & per triduum corpus ipsius mortuum requievit in sepulchro. Propter quod & *Christus, mortuus dicitur secundum Scripturas* 1. Cor. XV. 3. & in Resurrectione *ἐκ νεκρῶν primitiæ dormientium factus* ib. v. 20. *προτόκοτος ἐκ τῶν νεκρῶν* Apoc. I. 5. Dicitur verò Christus resuscitatus *ἐκ νεκρῶν* ex mortuis alibi verò ἀπὸ τῶν νεκρῶν à mortuis Matth. XXVII. 64. XXVIII. 4. 7. & Angelus ad Mulieres

4
4
4
45

heres dixit: *Quid queritis viventem post mortuos, ex* quibus patet præposit. *ex* & *ἐξ* quæ alias variam habet significationem, de quâ Vid. Pafor in Lexico p. 254. & Glassius in Gram. S. Lib. III. tract. 6. can. 8. æquipollere τὸ ἀπὸ, quod aliquando terminum à quo s. locum s. statum unde quis venit aut surgit, notat. Vid. Glassium in Appendice ad Tract. VI. de Præpos. p. m. 529. Sc. quia Christus hætenus per illud triduum inter mortuos, quiescente corpore exanimi in sepulchro, censebatur revera mortuus, inde dicitur non solum hic, ὁ Θεὸς ἀνάστασιν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν sed etiam Hebr. XIII. 20. *Deus Pacis ὁ ἀναγαγὼν ἐκ νεκρῶν Magnum ovium Pastorem Dominum nostrum Jesum Christum.* Cæterum, cum vox Νεκρός sicut & θάνατος non solum propriè separationem animæ & corporis, sed & impropriè, in peccatis & angustii quasi mortuos designet Eph. II. 5. Apoc. III. 1. 1. Cor. XV. 31. Imò quandoque in bonam accipiatur partem, & νεκρωσιν mortificationem carnis & animæ denotet Rom. VI. 2. Coloss. III. 5, facile patet quod h. l. in propria intelligenda sit significatione sicuti 1. Thess. IV. 16. *qui sunt mortui in Christo h. e. in fide defuncti, sicque ad Christi Corpus pertinent, resurgent primum. Sicut enim in Adam omnes mortui sunt, ita in Christo omnes resurgent.* 1. Cor. XV. 22. Atque hanc ἀνάστασιν Christi ἐκ νεκρῶν prædicat hic Paulus.

§. VII. Latisimus hic aperitur campus differendi DE GLORIOSA CHRISTI RESURRECTIONE, Principali Articulo Fidei nostræ, quem tanquam summam seu fundamentum Fidei Christianæ, (quod egregiè declaravit B. Dn. D. Melch. Zeidlerus in Themate Homilet. ex 2. Timoth. II. 8. circa finem Rhetor. Eccl.) Atheniensibus commendat. Jam enim illo tempore non solum Athenienses aliique Gentiles illam fidem irridebant, sed & Judæi & alii Iudaizantes negabant, quales erant quoque in Ecclesia Corinthiaca, ut patet ex 1. Cor. XV. 35. Afferit eandem, Scriptura tot testimoniis partim *Divinis*, in prædictionibus Prophetarum Ps. XVI. 10. Ps. II. 33. allegatis ab Apostolo Act. II. 28. XIII. 33, & in typis Ionæ Matth. XII. 40. Isaaci Hebr. XI. 29. Josephi, Sinsonis &c. unde resurrexisse dicitur *juxta Scripturas* 1. Cor. XV. 4. partim *Angelicis*, qui eandem annuñciaverunt & vacuum mulieribus sepulchrum ostenderunt, Matth. & Marc. Ult. ad ipsius Christi, *fidelis & veracis testis* Apoc. I. 5. prædictionem provocantes; partim *humanis*, qui Jesum post Resur-

9

Resurrectionem viderunt & cum eo conversati sunt, manducaverunt & biberunt teste Petro Act. X. 41. & Paulo 1. Cor. XV. 5. qui dicit Christum visum esse à *plus quam quingentis fratribus* in Galilæa, die ipsa, quâ videntibus illis in cœlum sublatus Act. I. 3. confirmatam. Accedit, quod etiam post ascensionem visus fuerit Christus vivus à Johanne in medio candelaborum ambulans & loquens cum Johanne Apoc. I. 13. à Paulo in via Damasci Act. IX. 5. 1. Cor. XV. 8. & si vera est traditio Hegesippi, à Petro paulo ante ipsius martyrium, de qua Vid. D. Joh. Andr. Schmidt in Disp. I. de Fabb. Sec. I. Sect. IV. Cap. II. §. & sequ. Quis verò testi oculato & cujus fides nullo modo suspecta reddi potest, non crederet? 2. Cor. XIII. 1. Si enim Apostoli, quem in morte mansisse noverant, nihilominus vivum, infinitis cum sudoribus, doloribus & periculis prædicassent, mortalium omnium aut stolidissimi aut improbisissimi fuissent. At neutrum dici potest: Erant enim homines simplices atque ab omni fastu alieni; neque movere eos poterat ad mentendum vel honor, ignominia enim afficiebantur à gentilibus & Judæis; neque divitiæ, quia in summa Paupertate vixerunt; neque alia Vitæ commoda, cum maximis premerentur persecutionibus. Sic argum. Grotius & Hennich. in tract. de Veritate Relig. Christ. Accedit & Hostium Christi testimonium ad confirmandam hanc Veritatem. Cum enim illi præsidium quærent in mendacio, quod custodibus sepulchri suggerebant Pontifices & Seniores Populi Matth. XXVIII. 11. & sequ. illud vel manibus poterat palpari: Quis enim crederet Vigiles & Custodes adeò alto somno potuisse opprimi, ut furtum Corporis Christi ex saxeo & tam firmiter munito sepulchro, non perentiscerent aut illud impedirent. Neque Apostolis, publicè prædicantibus Resurrectionem Hierosolymis in die Pentecostes & postea coram Synedrio, ausi sunt Hostes tale quid exprobare: Verum maximo cum successu in toto Orbe fides hæc fuit prædicata, ita ut hodiernum memoria ejus, Die Paschali & Dominica jugiter recolatur. Imò Pilatum ad Tiberium de Resurrectione Christi ex communi fama scripsisse, auctor est Eusebius Hist. Eccl. II. 2. nullo tamen certo innixus documento: Acta enim Pilati jam dudum fidem perdidere. Vid. Tob. Pfannerus in System. Theol. Gent. Purioris Cap. IV. §. V. & D. Joh. Alb. Fabricius de Apocryphis N. T. p. 214. & sequ. Sicut nec urgemus

B

testi-

testimonium Flavii Josephi Script. Judæi, qui dicit, *Prophetas Resurrectionem Jesu & alia talia multa miranda prædixisse* Lib. XVIII. Antiqu. Jud. c. 4. Etsi enim vera dicat, nondum tamen extra controversiam est: Num hæc Periocha Josepho sit adscribenda, an pro assumendo ejus sit habenda. Vid. Clar. Joh. Andr. Bossii Exercit. Historico-Criticam in h. l. edit. Jenæ A. 1673. De Judaica blasphemia participavit Cerinthus, qui *Christum quidem esse passum & crucifixum, nondum tamen à mortuis esse resuscitatum, sed id demum futurum, cum omnes mortui resurrexerint*, teste Augustino, Epiphanio, Philastrio, docuit.

§. VIII. Verùm non solum credendum est Christum resurrexisse, sed & ὄντως, verè, ut habet confessio Cleophæ & alius Discipuli Luc. XXIV. 35. *resurrexisse*. Equidem & gentiles olim gloriabantur, de quibusdam qui ex morte in vitam revocati fuerint vel revivixerint, quales Celsus laudat ab Origene citatus Lib. 3. contra eundem Edit. Cantabr. ab A. 1677. pag. 125. & sequ. complures etiam Plinius Lib. II. c. 52. & Æneas Gazæus in Theophrasto memorarunt. Verum in hisce exemplis imposturas hominum & fallacias Satanæ, quibus incautis & superstitiosis illudere, pridem detexere alii, & narrationes illæ ipsi gentilibus Philosophis suspectæ sunt visæ; à Celfo verò & aliis Philosophis, ut minuerent gloriam Resurrectionis Christi, gratis effictæ. Certè non ignorarunt illa Athenienses, inter gentiles perspicacissimi, nihilominus audientes Paulum prædicare de Resurrectione Viri alicujus riserunt. *Ut carnis refectio negetur, de una omnium Schola Philosophorum est*, inquit Tertull. Libr. de Præscript. c. 8. Ipse Plinius adductus Lib. II. c. 7. & Lib. VII. c. 55. mortuorum resuscitationem inter puerilia deliramenta numerat & addit: *Qua malum? illa dementia, iterari Vitam mortemque?* Inde Synesius Philosophus Plonicus etsi aliis, quæ Christiani profitentur, promptum & facilem, ut crederet, se præbuerit, Resurrectionis tamen fidem minimè primum recipere voluit, teste Nicephoro Lib. XIV. Hist. Eccles. c. 55. quam tamen Episcopus factus tandem confessus. Vid. W. Cave Hist. Lit. ad A. 410. Sed aliter se habet Resurrectio Christi, qui se Apostolis, *postquam passus est, exhibuit vivum cum multis remercioris i. e. certissimis signis, per dies 40. conspexit & loquens de iis, quæ ad Regnum Dei spectant.* Act. I. 3. Confirmavit se. Christus verè se resurrexisse, totidem apparitionibus, intra tem-
pus

pus Resurrectionis & Ascensionis factis, diversis personis, quarum numerus tamen diversimodè ponitur; Vid. de hoc argumento Joh. Fecht Dissert. peculiari Rostochii non ita pridem habita, Provocant ad illas Petrus Act. X. 41. & Paulus 1. Cor. XV. 5. *Verè passus est Christus, ut & verè ipsum resuscitavit Pater, non, quemadmod. infideles quidam dicunt, τὸ δοκεῖ αὐτὸν πεποθέναι, αὐτοὶ τὸ δοκεῖν ἄρτες, secundum opinionem ipsum passum esse, ipsi secundum opinionem existentes: Et quemadmodum sapiunt, sic & contingit eis; ἔσιν ἀσωμάτους καὶ δαμονιακοῖς*, quæ Interpres vertit: *Qui phantasticè sunt & demoniaci*. Sic scribit Ignatius, inter eos, qui cum Apostolis conversati sunt, Viros ferè primus in Epist. ad Smyrnæos Vol. II. Patrum Apostol. p. 34. Equidem Ignatius nomina eorum noluit scribere, *donec pœniteant*, ut scribit, interim non inferioris fuissè ordinis, verba ejus sequentia testantur. Erat verò illa hæresis, *Phantastiῶν & Δοκητῶν*, ita dictorum, quod Christum non verum hominem sed phantasma esse dixerint, quod in specie hominis apparuerit; Itaque & Christum verè passum, verè mortuum esse, atque sic verè resurrexisse negarunt. Agmen horum ducit Simon Magus, quem secuti sunt Saturninus, Basilides, Marcion, Manichæi, de quibus Vid. Spicileg. meum ex Theol. Contr. Dec. VIII. th. 3. Basilidis blasphemiam, de qua vid. Epiphani. hæ. 24, recoxit Muhamed Sur. IV. ferè totam, nisi quod loco Simonis, quem ille dicebat cruci affixum, Judam proditorem, substituerit. Impietas ergò est maxima Bened. Spinozæ ex Judæo Pseudo-Christiani, qui Resurrectionis Christi veritatem negare est ausus, *deceptos, dicens, potius fuisse Apostolos: Christum enim non nisi allegoricè resurrexisse & Evangelistas non res ipsas sed apparitiones narrare. Decipi verò, potuisse, salva manente Evangelii doctrina*. De eadem interim impietate participat ille, qui Spinozam hoc in capite excusare conatus fuit, malè applicans ei illud Pauli, dicentis: *se Christum non amplius nosse secundum carnem, sed secundum Spiritum* 2. Cor. V. 16. Carnem enim & Resurrectionem Christi Paulus nullibi negavit, fundamentum salutis omnis in hac fide ponens, sed se nihil *carnale* & quod carnem sapit in Christo quærere dixit, ut benè explicat hoc glossa marginalis. Vid. D. Zach. Græpii Christologiam Recens controversam qu. 20, p. 63. & sequ.

B 2

§ IX.

4
4
4
45

§. IX. Porro Christum non verè tantùm, sed & *in eodem*, quod in Nativitate assumpserat, in Vita portaverat, & in morte in sepulchrum depositum fuerat, *nobis ὁμοσῶ Corpore resurraxisse* credendum est, licet illud glorificatum & ab omnibus infirmitatibus post resurrectionem liberum fuerit. Patet hoc ex definitione Resurrectionis supra §. IV. posita, ex apparitionibus, in quibus variis argumentis non solum se vivere, sed & in eodem, quod ante habebat, corpore, revivixisse demonstravit. *Ego ipse sum*, inquit, *palpate & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et manducavit coram eis. Luc. XXIV. 39. &c. Jusfitque Thomam ut *digitum & manum poneret in vulnera & latus* Joh. XX. 27. Sicque omnes Discipulorum sensus de Veritate Corporis sui, quod eduxerat è sepulchro, confirmavit. Id indicare ipse voluit in emphatico illo dicto: *Solvite templum τῆτο hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Joh. II. 20. Patet etiam hoc ex eo, quod nostrum corpus, cujus resurrectionem credimus in essentialibus suis proprietatibus, dicatur esse *configurandum corpori claritatis Christi.* Philipp. III. 21. Fusius id docet Theodoretus in Demonstrat. per Syllogismos *ὅτι ἀσύγχυτος ἡ ἕνωσις.* Ferebat corpus, incorruptibile tamen, divinum & carnalibus legibus non amplius subditum, scribit Theophylactus in Cap. XX. Joh. Et ante illos Ignatius in Epistola ad Smyrneses ad Verba Christi Luc. XXIV. 29. se referens, scribit: *Ego Christum non solum in carne venisse ὀίδα* (ita enim legendum esse, non *ἔίδα* Vidi probat Cotelerius in Not. ad h. l. Vol. II. PP. Apostol. p. m. 35.) *novi sc. cognosco ex nativitate & crucifixione ejus: Sed & post resurrectionem novi ipsum in carne, sc. esse, & credo etiam nunc esse.* Quod enim Christus semel assumpsit, nunquam deposuit, antiquus est Theologorum Canon, quem oppoluerunt ut aliis hæreticis, ita quoque *Origenianis*, qui Christi Corpus post Resurrectionem fuisse aëreum & athereum existimarunt, ceu testantur Epiphanius Hæres. LXIV. quæ est Origen & Hieronymus in Epist. ad Pammach. adv. errores Johannis Hierosolym. & in fine Comment. in Esaiam. Ipsum Origenem fuisse in illa opinione colligitur ex Lib. III. contra Celsum p. 136. ubi ait: *Qualitatem mortalem Iesu corporis in atheream & divinam qualitatem fuisse mutatam.* Equidem & Orthodoxi quidam Patres Christo post resurrectionem quandoque tribuerunt *πνευματικὸν σῶμα.* Verum nihil aliud intellexerunt, quam

quam *spirituales qualitates* corporis incorruptibilis, immutabilis & à passione liberi, ut post Theophylactum hanc vocem Damascenus Lib. IV. de Orthod. Fide explicat c. 28. Vid. Svicerus in Thesauro Eccles. sub voce ἀνάστασις, σῶμα & πνευματικός. Inde patet, quid iudicandum sit de Socinianorum Hypothesibus, in quibus docent: Corpus Christi post Resurrectionem in naturali quidem statu adhuc tamdiu permanisse, quoad in terris mansit, ita ut cibo opus habuerit, indeque nec vestigia clavorum in manibus & pedibus deposuerit: In ascensione verò in Cœlos cœleste esse factum, nec amplius carnem & sanguinem habere. Vide Osterodum in Instit. c. 41. Socinum Lib. 1. de Statu Primi Hom. c. 8. Schmalz. Disp. 3. contra Franz. Quod enim Christus statim in resurrectione sua habuerit corpus gloriosum & immortale patet ex dotibus clarificati corporis, quas exseruit in ipsa Resurrectione & ostendit in apparitionibus. Nam *per resurrectionem suam ingressus est in gloriam* Luc. XXIV. 26. Quod cibo & potu fuerit usus post Resurrectionem factum est ex certa dispensatione, ad proband. veritatem Resurrectionis, infirmis in fide Apostolis, non ex naturali necessitate. Similiter vulnera voluit retinere ex eadem causa, & ut Victor gloriosus trophæa illa inferret in cœlum. Quod verò & post Ascensionem in Cœlum corpus nostro ὁμοίσιον habeat, Angeli testantur, sc. quod rediturus sit de Cœlo, *quomodo eum viderant Apostoli ascendere in cœlum* Act. I. 12. Neque enim gloria, qua coronatus est in cœlo, naturam humanam interfecit, sed perfecit, non abstulit sed extulit, non removet sed promovit. Philipp. II, 7. 9. Vid. Stegmannus in Photin. Disp. XXVI.

§. X. Ut verò eò magis pateat Christum verè & propriè resurrexisse ex mortuis, respiciendum est ad ipsum Christum, qui sibi Causa exstitit Resurrectionis, ut θεάνθρωπος. Sc., ut Theologi solent distinguere, totus Christus est *Subiectum quod* hujus resuscitationis, *subiectum quo* s. secundum quod resuscitatus est, est caro, secundum quam & mortuus fuerat, *subiectum à quo* resuscitatus est (rectius dicitur Causa Efficiens) est Deitas, quæ erat in Christo. Est enim hoc opus Omnipotentix Divinæ, suscitare ex mortuis corpus emortuum & animam reddere corpori, omnesque vires Creaturarum transcendit neque ullam proportionem habet ad Virtutes ullius agentis finiti, Idèò in scriptu-

scriptura ut nostra, sic & Christi Resurrectio Deo adscribitur, τὸ ἀνά-
 τήσαντι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν ut loquitur h. l. Paulus. *Ut sciamus quam sit
 supereminens magnitudo Virtutis ejus in nos, qui credimus, secundum
 operationem potentiae Virtutis ejus, quam operatus est in Christo JESU,
 suscitans illum à mortuis, inquit Ap. Eph. I. 19. Jam illud ὑπερβάλλ-
 λαν μέγεθος, τῆς δυνάμεος quod explicat per ἐνεργεῖαν τῆ κατὰ τῆς ἰσχύος
 erat in Christo. Sicut, enim Pater suscitavit mortuos & vivificavit, sic &
 filius, quos vult vivificavit, ait ipse Joh. V. 21. Se quoque habere illam
 potestatem demonstravit in resurrectione Lazari Joh. XI. 44. Filio Vi-
 duæ Luc. VII. 14. & Filiae Archisynagogi Matth. IX. 25. Sed & ean-
 dem in se ipso demonstraturum luculenter testatur Joh. II. 19. cum ait:
Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod verò hoc in-
 telligendum sit de corpore Christi, disertis verbis indicat Johannes, sub-
 jungens: *Ille autem dicebat de templo corporis, quod templum voca-
 bat, quia in ipso habitabat omnis plenitudo divinitatis σωματικῶς Coloss.
 II. 9. Addit Evang. quod Discipuli ejus, cum resurrexisset à mortuis,
 recordati sint, quia hoc dicebat eis & crediderunt Scripturæ & sermone,
 quem dixit JESUS v. 22. Ergo utique crediderunt Christum resuscitasse
 se ipsum: In hisce enim verbis nullius alterius Personæ fit mentio, quæ
 Templum hoc excitavit, quam ipsemet. *Quis nisi solus Filius resur-
 rexit, quia solus mori potuit, qui carnem habuit? Et tamen ab hoc opere
 quo solus Filius resurrexit, non erat Pater alienus, de quo scriptum est:
 Qui suscitavit à mortuis JESUM (sc. Act. XVII. 21. & alibi.) An fortè
 se ipsum non suscitavit? Et ubi est quod ait: Solvite templum hoc &
 triduo suscitabo illud Joh. I. 19. & quod potestatem se habere dicit po-
 nendi & iterum sumendi animam Joh. X. 17. Quis autem ita despiat,
 ut Spiritum S. resurrectionem hominis Christi dicat non cooperatum (dici-
 tur v. id diserte Rom. VIII. 11.) cum ipsum hominem Christum fuerit ope-
 ratus, scribit August. Serm. contra Arian. c. 15. Luc. I. 35. Ille se suscita-
 vit, qui vivebat in se, in carne autem suscitanda mortuus, scribit idem
 Serm. VIII. de Verbis Dn. Argumenti interim hujus evidentiam miro
 sophismate impetunt Sociniani. *Deus, inquit, Christum suscitavit, ali-
 ter Christus corpus suum: Deus Christo vitam restituendo, Christus recu-
 perata vita corpus suum levando & à sepulchro procedendo sequè post mor-
 tem vivum sistendo, Sicut Paralyticus ille Matth. IX. 6. creverat cor-
 pus****

pus suum accepta à Christo sanitate, & sicut omnes mortui excitati à Christo prodibunt ex sepulchris. Sic Joh. Pearson ex Socinian. Confessione in Expof. Symbol. hoc Artic. p. m. 455. Verum sicuti excitare corpus mortuum stylo Scripturæ idem est ac vitam ipsi reddere, ceu supra ostensum fuit §. III. & IV. Ita quando Christus sibi tribuit resurrectionem Corporis sui, utique & sibi tribuit vivificationem sui ipsius, qui se ipsum *Resurrectionem & Vitam* vocat Joh. XI. 25. *qui vitam in semetipso habebat, & potestatem ponendi animam, cum moriebatur, & potestatem sumendi iterum animam, in Resurrectione* Joh. X. 18. Et si enim cum moreretur Christus in cruce, vinculum naturale quod erat inter corpus & animam ejus fuerit solutum & sic verè mortuus fuit Joh. XIX. 17. 18. Non tamen vinculum personale fuit ruptum; *quia quod semel assumpsit nunquam deposuit, & mansit ó λόγος apud Carnem & animam Christi, tanquam Sacerdotis εις τὸ διηνεκές* Hebr. VII. 3. Ergo ipse potestatem etiam in morte habuit vivificandi corpus & uniendi cum anima. Etenim Templum stans erat Corpus ipsius vivum, solutio hujus Templi facta in separatione animæ à corpore, quo sensu Simeon & Paulus solutionem optant Luc. II. 29. Philipp. I. 23. Excitatio Templi soluti, erat vivificatio Corporis ejusdem quod Salvator se facturum promiserat. Idem colligi potest ex dicto Petri, quò dicit *Christum mortificatum carne & vivificatum Spiritu* Eph. III. 18. Oppositio enim carnis & Spiritus ostendit, quod passus sit Christus & mortuus in carne assumpta, & vivificatus Spiritu sc. divino, qui erat in ipso cum tota plenitudine Deitatis *σωματικῶς*. Coloss. II. 9. Vid. Gerhard Loco de Deo Patre & æterno ejus Filio §. 98. Ubi ad exceptiones Socinian. contra dicta allata fusus responder.

§. XI. Quí autem sit, quod, cum Christus propriâ Virtute quam habuit cum Patre & Spiritu Sancto, qui in Symb. Constantinop. vocatur Dominus *ζωοποιὸς vivificans*, communem, resurrexit, ejus tamen Resuscitatio hoc nostro loco Act. XVII. & alibi toties Patri cœlesti adscribatur & ipsi accepta referatur. Quidam ex antiquis hanc afferunt causam, quod scilicet hoc factum sit propter infideles, qui, mortuum se ipsum resuscitare pro re incredibile & absurdissima habebant, adeoque se demisisse Spiritum S. ad ipsorum imbecillitatem, ut prius crederent Deum & Patrem omnium resuscitasse Filium, & inde eandem gloriam

& potentiam in Filio Dei agnoscerent. *Apostoli, cum predicarent Evangelium propter infirmitatem audientium, Christum esse resuscitatum à Patre, acceptabilem ac commendabilem hoc modo sermonem reddentes. Sed Angelus qui primus Resurrectionis vocem rugit, nudam designans ac Majestatis plenissimam, Deòque maximè convenientem ejus qui resurrexerat potestatem clamabat: Non est hic, sed resurrexit. Itaque quod dicitur eum resuscitatum esse à Patre, audientium quidem, ut dixi, disponebat & moderabatur infirmitatem, eundem verò continet & non alium intellectum. Nam in quò operatur Pater? In propria potentia videlicet & virtute. Quanam autem est Virtus ac potentia Patris? Nemo alius præterquam Christus. Christus enim Dei Virtus ac Potentia Dei que sapientia est. Ergo seipsum suscitavit Christus, etsi à Patre dicitur resuscitatus, inquit Gregor. Nyssenus Orat. 2. de Resurr. Christi, Tom. III. p. 402. Idem indigitat Chrysostomus ad locum Gal. I. v. 1. ubi Pater dicitur Christum suscitasse à mortuis, scribit: Hoc partim honoris gratia, qui Patri debetur, dictum est, partim ob auditorum imbecillitatem, dictum accipe. Alii verò id inde fieri dicunt, quia Scriptura S. ea quæ fiunt à Filio sæpe Patri attribuit, ut Theodoretus Comm. in 2. Corinth. XIII. v. 4. Sicut & ipse Christus hunc honorem Patri tribuit, ut sua opera, quæ cum ipsi habet æqualia, ipsi adscribat Patri & vicissim Patris opera sibi tribuat. Quæcumque enim Pater facit, hæc etiam filius facit. Joh. V. 19. Rectius tamen dicitur Patri Resurrectionem Christi tribui, ut innueretur Patrem ratam habuisse satisfactionem sibi per mortem Christi factam, quando illum cum gloria ex carcere quasi recepit, quem propter peccata nostra in illum tradiderat. Si enim in morte mansisset, à quâ debitores veluti in carcere quodam detinebantur, non evidenter cognitum fuisset, num λόγος illud, quod tradendo animam suam pro nobis Matth. XX 28. solvit, justitiæ divinæ plenè satisfecisset, & à Deo Patre fuisset acceptatum. Verum cum jam ab hoc carcere retineri non potuerit, sed dimissus ex illo, solutione facta, clarissimum & firmissimum erat hoc documentum, quod expiata sit iniquitas nostra, quod solutum sit debitum nostrum & justitia sempiterna & eorum Deo valens adducta Dan. IX. 24. 2. Cor. V. 21. Scribitur à Patre ad Vitam revocatus & in cælum susceptus esse Christus: Verum etiam se ipsum à mortuis suscitasse rursusque in cælum ascendisse præ-*

predicatur. Ενεὶα τῆς εὐδοκίας, ταῦτα τῆς ἐξουσίας Illa beneplaciti erant, hæc potestatis, inquit Gregor. Nazianz. Orat. XXXVIII. p. 621. Eadem repetit Orat. XLII. p. 695. Atque hinc perspicitur, quare Paulus etiam h. l. Patri resurrectionem Christi ex mortuis adseribat; Scilicet quia Deus Pater, qui hæcenus tempora ignorantiae toleravit, nunc pœnitentiam omnibus præcipiat, quia per hunc Virum, Christum, quem propterea excitavit à mortuis & per quem fidem exhibuerit omnibus, iudicaturus sit Orbem.

XII. Ex hoc verò quod Christus propria Virtute resurrexit ex mortuis stabilitur ejus *Deitas*. Quis enim mortuum suscitare potest virtute propria, nisi solus Deus? Leguntur quidem & Prophetæ suscitasse mortuos, veluti Elias & Elisæus; Ast tantum abest ut virtute propria tantum opus perfecerint, ut potius ardentibus precibus Dei omnipotentis gratiam implorarint, quò is sua Virtute vitam restitueret, quibus alioqui nulla creata vis eam reddere potuisset 1. Reg. XVII. 21. 2. Reg. VI. 33. Multo minus autem quis se ipsum suscitare potest. Inde Atheniensibus & aliis Gentilibus & inter Judæos Sadducæis Resurrectio mortuorum impossibilis videbatur, quia *Virtutem Dei ignobant* Matth. XXII. 29. Cum ergo Christus non solum alios, sed & se ipsum ex mortuis per eandem, quam habet cum Patre & Spiritu S., essentiam, voluntatem & potentiam, ut modò probavimus, suscitaverit, inde manifestè patet *Christum esse Deum & Dei Filium*, & talem esse se declarasse per Resurrectionem ex mortuis. Hoc testatur Apostolus, cum ait: *Declaratus est Filius Dei cum potentia secundum Spiritum sanctificationis, ex eò quod resurrexit à mortuis* Rom. I. 4. Quæ verba optimè transtulit, B. Lutherus *Präfiglich erweist ein Sohn Gottes, nach dem Geist der da heiligt*. Er si enim vox *ὁγιόθεντος* (nam *προογιόθεντος* olim lectum fuisse, gratis & sine fundamento dicitur) variè ab Interpretibus intelligatur, plerique tamen recedentes à versione Vulgatæ, quæ *prædestinationem Christi* intelligit, (de quâ operose disputant Romanenses,) τὸ *ὁγιόθεν*, et si alias varias habeat significationes, de quibus Vid. Disp. meam tertiam super h. l. §. IV. explicant per *declarare s. efficaciter demonstrare*, sicuti Christus dicitur *Vir Dei ἀποδεργμένου demonstratus virtutibus & miraculis & signis* Act. II. 22. Nec hoc repugnat significationi, vocis *ὁγιόθεν*, quæ certè aliquid ponere & proponere generaliter notat, adeoque & hic exponenda ita

videtur: *Quod Filius Dei per Resurrectionem omnibus se Dei filium demonstravit & proposuerit.* Vid. Seb. Schmidius in h. l. Scilicet sicut Paulus h. l. veritatem humanæ Christi Naturæ inde probat, quod sit factus s. natus ex semine David secundum carnem; Ita de ejusdem Natura Divina, quam assumptæ carni contradistingvit, testatur, dum eundem Filium Dei dicit, ostensum esse & declaratum cum potentia sc. divina secundum Spiritum sanctitatis i. e. divinam Naturam, quæ est Essentia Spiritualis, sancta & sanctificans, vel, juxta Chrysostr. & alios, quod ipse largitus sit Spiritum Sanctificantem suis fidelibus, adeoque Filium Dei proprium & ὁμοῖον esse, ex resurrectione à mortuis, tanquam infallibili argumento Deitatis in Christo. Argumenta hæc Pauli pro Deitate Christi ita Chrysostr. Homil. I. in Ep. ad Rom. Vol. IV. in N. T. p. 11. & 12. egregiè explicat. *Quid est, quod ait: Predicamus eum qui ex David natus est? sed hoc quidem apertum.* Unde autem filius Dei est idem hic ex carne constans? Primum à Prophetis: Ob quod ait: *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis, non parva a. demonstrationis hic tropus.* Deinde ex ipso generationis modo quod & ipse declaravit, cum dixit: *Ex semine David secundum carnem, ipsam enim Natura Legem solvit.* Tertium à miraculis quæ edidit, magna potentia argumentum præbens, hoc enim est, cum potentia. Quartum ab ipso Spiritu, quem quidem dedit credentibus in se, & per quem omnes sanctos reddidit, unde ait: *secundum Spiritum sanctificationis; Dei solius erat id genus dona largiri.* Quintum à Resurrectione Domini, primus enim hic & solus se ipsum excitavit: *Quod & ipse ait signum maxime omnium idoneum esse, & quod impudentibus os obstruere posset: Solvite enim, inquit, templum hoc & post tres dies excitabo ipsum (Joh. II. 19.) Et: cum exaltaveritis me à terra, tum cognoscetis quod ego sum (Joh. VIII. 28.) Et rursus: Signum querit generatio hæc, & signum non dabitur ei, nisi signum Jona (Matth. XII. 39)* *Quid igitur est, tandem quærit Chryl., ὀριζέντος? & respondet: δεχθέντος, ἀποθανόντος, κηθέντος, ὁμολογηθέντος παρὰ τῶν ἀπάντων γνώμης καὶ ψήφῳ, ostensus, demonstratus, judicatus, confessus ab omnium sententia & calculo, à Prophetis, à nec inopinata nativitate, nativitate inquam secundum carnem, à potentia ea, quæ in signis esset, à spiritu per quem sanctificationem dedit, à resurrectione, per quam mortis tyrannidem solvit.*

H. I.

H. I. Inde Thomas & reliqui Apostoli in fide Deitatis Christi, quam ante jam agnoverant ex miraculis Christi, per gloriosam ejus resurrectionem ex mortuis confirmati sunt. Hi quidem cum vidissent illum in monte Galilææ, adorarunt eum religiosa sc. adoratione, quam vox προσκυνῆσθαι involvit ut θεῶν ἰσχυροῦν. Matth. XXVIII. 17. Ille verò certior factus de Resurrectione Christi, dum Christum videret & vestigia clavorum in manibus, pedibus & latere oculis suis lustraret, exclamat: Dominus meus & Deus meus Joh. XX. 28. Hilarius hanc confessionem Thomæ Sabellianis & Arianis opponens, inter alia ait: *Apostolus totius Sacramenti fidem per Virtutem resurrectionis intelligens, cum frequenter audivisset: Ego & Pater unum sumus, & Omnia quæ Patris sunt, mea sunt, & Ego in Patre & Pater in me; Jam sine fidei periculo Naturæ nomen confessus est. Videns Thomas credidit: Sed quid credidit quæris? Et quid aliud credidit, quam quod professus est: Dominus meus & Deus meus? Resurrexisse enim per se ex mortuis in Vitam, nisi natura Dei non potuit, & credita religionis fides hoc est professa, quod Deus est. Beatos esse docuit, qui, cum se resurgentem à mortuis non vidissent, Deum tamen per resurrectionis intelligentiam credidissent.* H. I. Lib. VII. de Trinit. p. m. 137. Quare & recentiores & antiquiores Doctores Orthodoxi ex supra adducto loco Rom. I. 4. contra Arianos, Nestorianos, Photinianos disputarunt, & ex Resurrectione Christi Deitatem ejus demonstrarunt. Conf. ex nostratibus Wellerus & Brentius in h. l. Manifesta ergò est infidelitas Sociniana, quæ Christum non Naturalem s. proprium Dei filium, sed factum voluntatis divinæ decreto, & adoptatum Dei filium prætendit, & id declaratum esse dicit in Resurrectione Christi, quæ sit q̄s. Nativitas filii, in quâ impletum sit illud: Tu es filius meus, ego hodie genui Te. Distingvendum enim esse inter ipsam filiationem & filiationis declarationem & manifestationem optimè monet Gerhardus. Filiatio ipsa unicè in æterna à Patre generatione consistit, ut apparet ex eò, quod vocatur Dei filius ὁ μονογενῆς παρὰ πατρός Joh. I. 14. unigenitus à Patre, Proprius Dei filius Joh. V. 18. Rom. VIII. 32. Substantialis imago Patris Coloff. I. 15. Hebr. I. 3. Hanc filiationem habuit per æternam generationem à Patre Proverb. VIII. 24. non per adoptionem in tempore factam, aut alio quovis modo, per quem

quem & Angeli & fideles dicuntur Dei filii, Hebr. I. 5. Neque Apostolus Actor. XIII. 13, adducens Verba Davidis ex Ps. II. 7, causam & formale filiationis, ut illi volunt, constituit in resurrectione ex mortuis; Sed ad declarationem aut manifestationem hujus Filiationis accommodat hoc dictum, vel, quod textui convenientius esse putat Gerhardus, ad missionem filii Dei in carnem ejusque Veram divinitatem: Sc. quod Iesus Nazarenus sit Dei filius promissus, Messias divinitus exhibitus in N. T., quodque eundem à Judæis occisum, Pater cœlestis excitaverit. Vid. Gerhardus Loco Exeget. IV. §. 14. Quod enim Christus habuit ante Resurrectionem, id non accepit per Resurrectionem: Si gignere idem est quod excitare, sequitur, quod filius Dei se ipsum genuerit, quia se ipsum ex mortuis suscitavit. Falsum ergo est, quod filius dicatur à Patre genitus propter suam ex mortuis Resurrectionem. Neque id sequitur ex eo quod Christus dicatur: Primogenitus ex mortuis Col I. 18. ut volunt Sociniani: Quis enim non agnoscit hic metaphoricam generationem & phrasin à primogenitis sumptam & eorundem prærogativa, quam hic A. Christo tribuit. Hebraismus hic occurrit quoque Luc. XX. 36. ubi fideles dicuntur filii resurrectionis, qui ita dicuntur, ut Matth. IX. 15. filii Sponsæ.



1. Neukaus de Fatis Adami.
2. Holfus de Homine.
3. Idem de imagine Dei in hoc.
4. Hottinger de auxilio Dei et.
5. Hugoninus de Concursu Dei.
6. Caeterius de Providentia Dei.
7. Holfus de Providentia.
8. Eusd de Lapsu primorum hominum.
9. ~~Eusd~~ de Angelis bonis et malis.
10. Tillemannus de Certitudine fidei.
11. Useel de Decalogo.
12. Hareus de tribus scitu necessariis.
13. Eusd Continuo.
14. Mascorius de curiosa Theologia.
15. Schmidius de Utilitate Relig. Evangel.
16. Mieg de Gratiae div. pperfu.
17. Jablonski de indulgentiis.
18. Zulfinger de natura Studii Theolici.
19. Holfus de Poenitentia.
20. Eusd de conversione.

penititius de gratuita Iustificacoe.
Morheim Triga Observacum.
Morheim de paupertate mentis
Mord de operarijs in vinea.
Nirchmeier de Baptismo Ignis.
Petersen de ebo Sabactari.
Nirchmeier de negotio salutis circa infantes.
Meier ad Locum Luc: 23.
Lampe de Titulo Evangel: Johannis.
Pinus de aqua baptisimi.
Peschig de Encanis Judaeorum.
Preny de Lege Moysis per angelos data.
Pfeiffer de Historia Pauli Apostoli.
Pfeffer de Barnaba et:
Pfeiffer de Dro suscitante Xtum ex mortuis.
~~Pfeiffer~~ Pechmanni Analysis Cap: 9. ad Rom.
Pfeiffer ad Locum ad Rom XII. 42.
Lampe de Ecclesia Apostolica.
Pentzki de Stella ex Jacob.
Pottinger de Benedictione Sacerdotali.
Pottinger de Phosphemi mysterio.
Pottinger de Libamine in mensa Sacra.
Pottinger de pestis insuperabilis


49. Dif. de Lectione legis solenni.


50. Elmerus ~~de~~ ad Reg: 18.

51. Marck ~~de~~ ad 2 Reg: 8. 10.

52.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a list or index of entries.









Fatis Adami.
Homine
Agino Dei in hoc.
de auxilio Dei et
de Concursu Dei.
Providentia Dei
Providentia
Capsu primorum hominum.
Angelis bonis et malis.
us de Certitudine fidei.
ecologo.
tribus ritu necessariis.
tinuatio.
is de curiosa Theologia.
De Utilitate Relig. Evangel.
Practicae div. p. p. p. p.
De indulgentiis.
De Natura Studii Theologici.
De Paenitentia
conversione.